Moesi

ut illud in usus suos servare videatur. Moesi quam feri quam truces
fuerint. quam ipsorum et iam barbari barbarorum. horribile dictu est. Unus
ducum ante aciem postulato silentio. qui vos inquid estis? Responsum
invicem. romani gentium domini. Et illi. Ita inquid fiet si nos viceritis. Acce
pit omen marcus crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere
votum. ut cesorum extis ducum et litarent et vescerentur. Deos audi
sse crediderim nec tubam sustinere potuerunt. Non minimum terroris
incussit barbaris domitius centurio. satis barbare efficacis tamen a
pud pares homines stoliditatis. Qui foculum gerens super cassidem
suscitatam motu corporis flammam velud ardenti capite funde
bat. Ante hos tracum maxime populus desciverat. Ille barbarus
et signis militaribus. et disciplina armis etiam romanis assuerat.
Sed a pisone perdomiti. in ipsa captivitate rabiem ostendere. Quippe cum
catenas morsibus temptarent: feritatem suam ipsi puniebant: Daci
montibus inherent: cotisonis regis imperio quotiens cum congelatus
gelu danubius iunxerat ripas decurrere solebant et vicinam popu
lari. Visum est cesari augusto gentem aditu difficillimam summo
vere. Misso igitur lentulo. ultra ulteriorem repulit ripam. citra pre
sidia constituit: Sic tunc dacia non victa. sed summota atque dilata
ta est. Sarmate patentibus campis inequitant: Et hos per eundem
lentulum prohibere danubio satis fuit. Nichil preter nives pruinas
que silvas habent. tanta barbaria est. ut pacem non intelligant: Ger
mania quamque utinam vincere tanti non putasset magis turpiter
amissa est quam gloriose acquisita. Sed quatenus sciebat patrem
suum cesarem bis transiecto ponte rheno quesisse bellum in illius
honorem concupierat facere provinciam. Et factum erat si barbari tam
vicia nostra quam imperia ferre potuissent. Missus in eam provinciam
drusus primos domuit usipites inde tencteros percucurrit et cattos. Nam
marchomannorum spoliis insignibus quendam editum tumulum
in trophei modum excoluit. Inde validissimas nationes cheruscos sue
bosque et sicambros pariter aggressus est. Qui .xx. centurionibus in
crucem actis hoc velut sacramento sumpserant bellum adeo certa victo

sycambros